

Folgt hierauf die öftters gedachte Donation oder Übergab des Fürstenthums Steyer von Herzog Ottocar auf Herzog Leopolden zu Oesterreich.

IN nomine Sanctæ Trinitatis & individuæ unitatis, *Ottocarus Dux Styria* salutem omnibus fidelibus in perpetuum. Divinis & humanis legibus docemur, ac propriæ naturæ disciplina commovemur nostrorum saluti consulere, & eorum utilitati tam modo, quam impostero providere, vita namque cujuslibet hominis, divitis sive pauperis, incerta transit & instabilis, ideoque quemlibet ante mortem deliberare decet, quid cui qualiter relinquat, quod post mortem retinere non valet. Et quia DEus sola dignatione suæ misericordiæ, primo parentibus nostris, deinde nobis magnam contulit in hominibus & rebus gratiam (*alii Gloriam*) sollicitudinem habuimus non minimam, cum non haberemus hæredem, cui omnia nostra cederent in hæreditatem. Communicato igitur meliorum nostrorum prudenti Consilio, Nobilissimum, Strenuissimum, fidelissimumque Ducem *Austria Leopoldum* Consanguineum nostrum, si sine hærede decefferimus, successorem nobis designavimus, cujus Provincia cum nostræ sit Contigua, sub unius pacis ac principis facilius valeat utraque moderari justitia, quem quia nobis amicissimum fore credimus quamdiu vixerit, nihil mali in nos & nostros eum moliri satis confidimus. Verumtamen ne aliquis de successoribus suis, paterni moris simul & mutuæ familiaritatis oblitus in ministeriales & Conprovinciales nostros impiè crudeliter præsumat agere, jura nostrorum secundum petitionem ipsorum statuimus comprehendere, ac privilegio munire. Inprimis siquidem statuentes, ut si idem Dux ac filius ejus *Fridericus*, quibus nostra designavimus, nos super vixerint, nostras in sua potestate habeant, adeo, quod si ejus gratiam amiserint, à nobis sibi collata amittere non valeant. Postea quicumque de suis nepotibus sibi succedentibus Ducatum tenuerit *Austria*, Ducatum quoque regat *Styria*, cæteris fratribus nullo modo super hoc litigantibus. Idem Dux petitiones ecclesiarum, Advocatias monasteriorum à parentibus nostris fundatorum sine advocatis manuteneat, sua domicilia, munitiones, terram, ministeriales integraliter possideat, nisi fortè petitione parentum ex multis filiis unum contingat alio transferri, causa majoris emolumenti benigna permissione Domini. Item quicumque de *Styria* vel *Austria* contraxerint mutuo, ejus Provinciæ jus habeant, in qua habitant. Si *Styrensis* intestatus obierit, & de jure hæredis, qui proximus fuerit sanguine, lis exorta fuerit, vel altercatio negotii inter *Styrenses*; non Campione, sed probabilium & certarum personarum dirimatur credibili testimonio. In beneficiis nullam molestiam, quæ vulgo *Anevelch* dicitur, sustinere cogantur. Beneficia ab aliis dominis acquisita à Duce *Austria* in proprietate fuerint empta, & non fuerit, qui beneficium possideat, de prædiis, quæ ducis *Austria* post obitum nostrum designavimus, interim, si ex his fidelibus ministerialibus ac propriis nostris dederimus ratum esse decernimus. Ministerialis *Styrensis* (*alii Styrensi*) prædia sua vendat, vel tribuat. Similiter quicumque se convertere, ac de redditibus quod conveniens fuerit Deo afferre disposuerit, in claustris subter nominatis, cum licentia nostra facere poterit. Scilicet *Traunkirchen, Garsten, Gleinck, Amond, Secau, Offiach, Rone, Vallis S. Joannis, Seiz, Vorrâu, Hospitali in Cornwald, Lambach, Varnbach, S. Lamperti*, ex quibus quædam parentes & avi nostri fundarunt, omnia autem in multis nobis ministraverunt. Quicumque de nostris super quærimonia sua justa sententia non fuerit terminata, habeat eam optionem, gratis coram Duce *Austria* suam renovet causam. Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Marschalli, qui de nostris sunt, *Styriæ* partes intranti Duci *Austria* singuli cum suis subditis per officia sua ministrant, ea disciplina, qua nobis & parentibus nostris ministraverunt. Petenti Curiam Imperatoris aut in expeditionem eunti dicti officarii paribus hebdomatibus, paribus diebus, paribusque sumptibus serviant, sicut & hi, qui de *Austria* serviunt. Ab infestationibus & actionibus, quas per